

Johann Andreas Gleich Samuel Ahl


Dissertatio Academica, De Lachrymis Veterum

Vitembergae: Schrödterus, 1688


<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn747273561>


Druck Freier  Zugang






31.
3. 2
4. 24
5. 20
6. 31
7. 2
8. 2
9. 39
10. 4
11. 4
12. 4
13. 4
14. 4
15. 4
16. 4
17. 4
18. 4
19. 4
20. 4
21. 4
22. 4
23. 4
24. 4
25. 4
26. 4
27. 4
28. 4
29. 4
30. 4
31. 4





31
 3
 4
 5
 6
 7
 8
 9
 10
 11
 12
 13
 14
 15
 16
 17



37.

2. D. B. V.
DISSERTATIO ACADEMICA,
DE

LACHRYMIS VETERUM,

QVAM

OCCASIONE LOCI NOVI INSTRUMENTI
MARC. XVI, 10.

CONSENSU
AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS,

IN ALMA LEUCOREA,

BENEVOLO PLACIDOQUE ERUDITORUM
EXAMINI SISTIT

PRÆSES

M. JOH. ANDREAS *Gleich*/
Gerâ - Variscus.

RESPONDENTE

SAMUEL AHL, SPANDOV. MARCHICO,
Philof. & S S. Theol. Stud.

Ad diem XIX. Maji, A.O.R. M.DC. LXXXVIII.

horis matutinis,

In Auditorio Philosophico.

VITEMBERGÆ,

Typis CHRISTIANI SCHRÖBTERI, Acad. Typ.

40
41
42
43
44
44
46

2

D I S S E R T A T I O
D E
L A C H R Y M I S
V E T E R U M

O C C A S I O N E L O G I N O V I I N S T R U M E N T I
A M P L I S S I M I P H I L O S O P H O R U M O R D I N I S

I N A L I A A C A D E M I A
B E N E V O L O P R O M O T O R U M P R O B I T O R U M
P R E S S E

M. JOH. ANDREAS GELM

R E S P O N D E N T I
S A M U E L A U G . S T A N D O Y M A R C H I O

P R O B A T O R I U M
A L I O D I E M X I X M A J I I O E M D C C L X X V I I I

I N A C A D E M I A P H I L O S O P H O R U M
P R O M O T O R U M P R O B I T O R U M

V I T T O R I A E
T Y P I C H R I S T I A N I - S C H O E T E R I A N G I I



Dissertationis totius Sciagraphia.

§. 1. Est Proœmialis, rejicit fabulosas Judæorum de DEO lachrymas, unà cum Pontificiorum lachrymis supposititiis. §. 2. & 3. Ipsum Textū Philologicè explicant, imprimis κλαίσι & πενθήσι vocabula. §. 4. Ex antiquitate eruit ipsum ritum lachrymarum quem infuneribus adhibebant veteres, impr. Romani. §. 5. Ebræorum lachrymas luctumque exponit. §. 6. Agit de mulieribus conductitiis, quas Romani Præficas vocabant, simulq; de luctus tempore monet. §. 7. Lachrymarum in urnas ac phialas collectionē describit ex antiquitate, atq; ex inscriptionibus veterum explicat. §. 8. Alias considerat nationes, & num lachrymas adhibuerint infuneribus suis, nec ne, ex Historicorum monumentis eruit. §. 9. Novam lachrymarum speciem, Penitentium nempe, sistit, & quidem ex argumentis Ecclesiasticis. §. 10. Precantium lachrymas breviter animadvertit, & illarum efficaciam declarat. §. 11. Alias causas lachrymarum, vel ex gaudio repentino, vel ex mœrore subito, promanantium exponit. §. 12. Epilogi loco de aliis etiam lachrymis quædam affert.

Quod bene vertat SS. Trinitas!

§. 1.

Lachrymis sanè deploranda, ac detestanda omninò est Judæorum cœcitas, & quasi propria huic populo pertinacia, qui non solum revelatam veritatem respuit & averfatur, sed etiam religionem suam nescio quibus nugis atque ineptiis palliare conatur, quæ tamen & verbo DEI sacrarumque literarum fontibus, & sanæ quoque rationi planè adversantur. Qvis enim tam insanus est atq; imprudens, qui commentum eorum, de DEI Lachrymis, vanum ac tralatitium, omniaque destitutum fundamentis non cognoscat ac judicet? Qvis fucum hujus rei non sentiat, accuratius apud animum Christiani Gersonis verba considerans, (1) qui expressè DEO fletum lachrymasque adscribit, & earum varias causas insimul quoque adjungit. Alii alias lachrymarum DEI rationes & conjecturas in medium proferunt, quas Talmudici Scriptores literarum monumentis consignarunt, (2) posteritatiq; reliquerunt. Cum quibus agmen claudunt Judæorū vestigiis insistentes Barbari, Muhamedanos puta, qui Deum, ob primam mundi vastitatem diluvio factam, relicto unico Noacho cum familia, plorasse usque ad oculorum dolorem referunt. (3) Prætere

A 2

tere

(1) in Talmud. Jud. l. i. c. 6. Was die Jüden vor einen Gott haben/ dem sie dienen. p. 40. (2) vid. Tract. Talmud. Chagiga. fol. 5, 21. (3) conf. Eduard. Pocock, in notis ad historiam Arab. Abal. Tarai. p. 216.

41.
42.
43.
44.
45.
46.

tereo lubens meritoque, quod de Messia Judaici, quem nondum in mundum venisse inæptè statuunt, lachrymis, *venerabilis Lipsiensium Theologus Dn. D. Carpzovius*, ex Judæorum scriptis (4) egregiè annotavit. Eiusdem notæ ac farina homines sunt adversarii nostri Pontificii, qui nescio quibus absurdis & ridiculis reliquiarum Sanctorum ostentationibus, plebem decipiunt, in tenebrarum errorumque sentinas eam specie veri cultus abripiunt & seducunt, sanctorum reliquias religiosè colunt, (5) osculandas spectantibus offerunt, imò & genua coram illis flectunt. In quarum numerum non solum Christi crucem, clavos, spineam coronam, lac Mariæ virginis, ut multa mulcralia eò commodè impleri possent, ejus crines, pectinem, industria, vestes, pepla, Josephi crepidas & caligas, caudam asini, quò Christus vectus est, pennam Archangeli, quam illi Diabolus in duello ex alis evulserit, &c. sed etiam *vasa aurea aut gemmea Lachrymis Christi & Mariæ repleta exponunt*. Quod argumentum eleganter profecuti sunt B. Lutherus, (6) Chemnitius, (7) Dorscheus, (8) Niemannus, (9) Frantzius, (10) Strauchius, (11) Siricius, (12) Theologi de Ecclesia Christi immortaliter meriti, qui fraudes demonstrarunt, solidèque hos errores refutarunt. Quibus meritò associamus Wolffium, in lectionibus memorabilibus, (13) Georgium Cassandrum, (14) Kœberum, (15) Baronium ipsum, (16) nec non Scriptorem anonymum Gallum, (17) aliosque. Sed habeant sibi res suas Judæi

(4) ex notis ad Schickardi jus Reg. Ebræor. p. 475. in Conc. Funer. P. I. p. 37. (5) ut vult Bellarmin. quem vide L. I. de beatitud. Sanctor. c. 7. & 10. Stengelius de judiciis divinis P. I. c. XII. n. 7. p. m. 33. & P. I. c. 42. n. 19. p. m. 149. edit. Colon. noviss. ao. 1682. Concil. Trid. Sess. XXV. decr. de invoc. & venerat. reliquiarum Sanctorum, Thomas in Sum. Theol. P. III. qv. 25. Art. 4. (6) Arric. Smalcald. artic. 2. de missa. (7) Chemnit. P. IV. Concil. Trid. (8) in Specimine Sceletomania Pontificia circa reliquias S. Marci & Luca. Argentor. 1644. edit. (9) in dissert. Acad. Jenæ anno 1666. de hoc argumento habita. (10) in disput. jubilæa de indulgentiis anno 1617. habit. edit. secund. §. 114. (11) Histor. Eccles. Apostolographia c. IV. Aph. 1. & 2. Coll. MSS. (12) Siricius in fundam. abom. Papat. Præfat. p. 31. 32. (13) Lection. memorab. Centur. XVI. p. 95. (14) consultat. artic. XXI. de venerat. reliqv. (15) Præceptorem nostrum quondam fidelissimum, in programmat. public. de sanguine Christi. an. 75. edit. nominatim progr. IIX. XI. (16) qui ex Rudolpho Glabro reliquiarum imposturas agnovit. Tom. XI. Annal. (17) im Kunstgriff der Französischen Geistlichkeit. p. 108. nec non de variis reliquiis quas annotavit, Joh. Jac. Chifflet. de linteis sepulchral. edit. noviss. 1688. Antwerp.

dæi atqve ineptias, nos DEUM ἀσχερον non plorare, constanter asserimus, atqve simul Pontificios cum lachrymis suis supposititiis, omnique fundamento & auctoritate destitutis, deserimus ac vitamus. Taceo plura, quæ de lachrymis Christi & Mariæ proferri possent, cum de his satis superque hinc inde disceptatum esse sciam. Nobis jam animo sedet, occasione loci adducti Novi Fœderis, lachrymas veterum generatim describere, & eam in sententiam nonnihil pro viribus commentari. Faxit benignissimum in cœlis Numen, ut cedant omnia in ipsius gloriam, studiorumque nostrorum commendationem & incrementum.

§. 2. Perspicientibus itaque rem accuratius atqve in arcem causæ ingredi cupientibus, quove nomine veniant lachrymantes inqvirentibus, Evangelista divinusque Historicus Marcus statim rem omnem explicare ac lachrymas luctumque describere videtur, κλαίειν vocabulum in græco eodice usurpans, quo non fletum simplicem, sed cum ingenti luctu & mœnore conjunctum exprimit. Hinc quidam de derivatione natalibusque hujus vocis solliciti, in eam descendunt sententiam, illud à κλάω, h. e. frango, deducendum esse, quod lachrymæ fracto quasi animo erumpant, guttatimque ex oculis decidant. In quâ opinione est Eustathius, monente Cl. Viro Henr. Stephani, (18) & Joh. Scapula. (19) Consentit etiam Georgius Fabricius, Chemnicensis, egregius græcarum literarum observator, (20) nec non Eduardus Leigh. (21) Hinc etiam Joachimus Camerarius, (22) magnum inter eruditos nomen, Lachrymas cum morsu quasi i. e. dolore fluere existimat. Cum quo facit Schrevelius, (23) cui hæc significatio placet, rationesque addit, quia vox flentium subinde frangatur & crebris singultibus interrumpatur. Idem statuere videtur Matthias Martini, (24) qui derivationem hanc quidem retinet, in eo tamen à superioribus recedit, quod κλαίειν etiam à קָלַי vox, Chald. vel potius à קָלַי unde קָלַי est vociferari, rugire, deducat. Reperitur interim tam apud Poëtas, quam solutæ orationis Scriptores. Hinc Homerus, Græcorum Poëtarum Princeps, (25) τέκνον, ἢ κλαίεις; Et Demosthenes, (26) scriptor gravissimus, ὑπερὲς αὐτῆς κλαίειν, suam vicem

A 3 lugere

(18) Henr. Stephani in Thesaur. græc. lingv. Tom. 2. p. 219. (19) in Lexic. edit. Basil. p. 796. (20) in pecul. libro de Syntaxi partium orationis apud græcos p. m. 85. Argentorat. anno 1551. edit. (21) in Critic. Sacr. p. 177. edit. Amstelod. ad N. T. (22) in onomast. veteri utriusque lingvæ, quod in Bibliotheca nostra publica asservatur, edit. Basil. anno 1551. p. 91. 92. 93. 94. (23) in glossario p. m. 453. edit. anno 1664. Lugd. Batav. (24) in suo etymologico Bremæ anno. 1625. edit. p. m. 724. (25) Homer. Iliad. α. (26) Demosth. ex citat. Cl. Schurzfleischii in lect. Publ. ad N. T.

lugere eadem phrasi describit; Et alio loco κλαίειν καὶ δακρύειν, flere & lachrymari, κλαίειν καὶ ὀδύρεσθαι flere & ejulare. Æschines inquit: (27) ὁ κλαίει μὲν ῥᾶον ἢ ἄλλοι γελῶσιν. Lucillius (28) de adulatore etiam usurpat hoc vocabulum, qui flenti collachrymari, & ridenti aridere consuevit:

Ἄλλοτε μὲν κλαίουσι, καὶ ἐσυγνωμένῳ ὄμμα

Συγκλαίων, καὶ οἷς συγγελόωντι γελῶν.

Plura habet Aristophanes, (29) Helychius, (30) Eusthatus (31), aliique Scriptores gravissimi.

§. 3. Respicit autem Marcus hic quàm maximè ad fletum lachrymasque in luctu adhibitas, cum ob majorem emphasin rei que certitudinem πενθήσει vocem adjecerit. Sic enim Textus se habet: (32) Ἐκείνη πορθεθεῖσαι ἀπὸ γυναικὸς τοῖς μετ' αὐτῆς γενομένοις, πενθήσει καὶ κλαίεισι. Illa, sc. Maria Magdalena, profecta renunciavit (resurrectionem Christi) iis qui cum illo fuerant, lugentibus ac flentibus. Sermonem nempe facit hoc in loco de discipulis Christi profugis, & ob obitum magistri sui dispersis, obstupescens, lugentibus & lachrymantibus. Hi enim sunt illi, οἱ μετ' αὐτῆς γενομένοις, quibus Maria resurrectionem Christi annunciare debebat. Sic etiam Isocrates hoc vocabulum de luctu in mortuos consuevit reddidit, (33) πενθήσειν πενθήσειν, mortuum deslere. Semper enim de luctu insigni ab aliis etiam explicatur, ut prolixè ostendit eruditissimus Svcerus, (34) nec non celeberrimus quondam Giesensium Doctor, Joh. Conr. Dietericus. (35) Hinc Homerus: (36).

Γαστέρι δ' ἔπος θῆι νέκλω πενήσσει ἀχαιῖς.

Non licet (inani) deslere mortuum ventre.

Prætermitto reliquos, qui multa hæc de re collegerunt, ut Stobæus, (37) & alii.

§. 4. Expositis ita breviter græcis observationibus, cum locus hic non vexatus, sed per se clarus sit, nos ad ipsum lachrymandi ritum eruendum convertimus, quem Evangelista adductis vocabulis denotare videtur. Sed cum iste varius sit, & vel in funere, vel in pœnitentia, vel in precibus consuetus, aliisque ex causis ortus, omnia distincte sigillatimque tractabimus.

Ac

(27) Æschin. in Ctesiphonte. (28) 1. Anthol. 12. f. 33. (29) Aristophan. in Vespi. p. 326. ed. Frobenianæ anno 1547. (30) Helych. in dictionar. græco lit. x. (31) in Commentar. Homer. iliad. p. 688. 62. 900. 51. 1508. 26. 586. 10. edit. Basil. (32) Marc. XVI. 10. (33) Isocrat. ex citat. Dn. Schurzfleischii in notis ad N. T. (34) in erudito opere Thesaur. Ecclesiast. Tom. 2. p. 666. (35) in illustrationibus Biblicis ad Novum Christi Instrumentum spectantibus p. 410. (36) Homer. iliad. 7. (37) Stobæus in utilissimo libro sententiarum,

Ac primò quidem de lachrymis in luctu adhibitis non nihil edifferendum,
& quid de illis nobis constet, est exponendum. κλαίοντες nempe caput ad
terram demittebant, ut ipse faciebat gemens Demosthenes, (38) καὶ στένων
καὶ κύπλων εἰς τὴν γῆν. Capillos lacerabant vestesque scindebant, ut vide-
re est apud Curtium, (39) nec non Ebræarum Antiquitatum peritissimum
Dn. Dalfovium, Præceptorem nostrum in hoc studio aliisque magnoperè
observandum. (40) Caput obvolvebant, ut Crassus, accepta à Parthis
clade, (41) καὶ εἰ αὐτὸν ἐγκεκαλυμμένον. Sic & Cato. (42) Quæ ratio
loqvendi etiam apud Euripidem, insignem atqve venustum scriptorem
est. Quod me jam pridem docuit incomparabilis Polyhistor, Dn. C. S.
Schurzfleischius, Patronus, Præceptor atqve Promotor meus, æternis obse-
quiis colendus. (43) Licet enim aliàs domi ac sine lachrymis publicis nulla-
qvæ pompa, defunctorum conderentur corpora, quod rectè animadvertit
vir cordatus & diffuse lectionis, Gyraldus, (44) seqvioribus tamen tempo-
ribus luctus publicus, lachrymis ac obvelatione capitis prosequendi defun-
ctorum funera invalescebat. Ad rogum enim Romani quondam omninò
etiam lachrymas fundebant, quod forsàn vult Terentius: (45) in ignem po-
sita est, fletur. Et Ovidius: (46)

Illum ego non aliter flentem mea funera vidi,

Ponendus quam si frater in igne foret.

Lachrymæ igitur unicū quasi mortis nobis supersunt solatium, post æternā
salutem, quo in agone constituti erigimus nos atqve miseras omnes con-
stanti animo superamus. Id quod Homerus innuere videtur, inqvies: (47)

Τὸ τοῦ πύργου γέρας ἴσιν διζυροῖσι βροτῶσι

Κείραθα τε κόμην βαλέειν ἄπο δάκρυ παρειῶν.

Namqvæ hæc sola manent miseros solatia mortis,

Et tondere comam & lachrymis respargere vultus.

Quam

à Conrad. Gesnero, Medico Tigurino, in latin. versionem traducto. edit.
Tigur. 1553. m. Aug. in Sermon. περὶ πένθους, qui est CXXI. & p. m. 612.

(38) Demosth. libro περὶ τῆς σεφάνης edit. Lugd. pag. 358. (39)
Curt. libr. X. (40) in antiquit. Judaic. P. 2. c. ult. de luctu Ebræorum, supe-
riori anno privatis in Scholis communicat. (41) apud Appianum de bello
Parthico. (42) Cato apud Plutarchum in Catone. (43) in animadversioni-
bus eruditissimis ad Novum Fœdus, lectionibus public. 1687. habit. ad Marc.
XVI. cap. (44) quod elogium ipsi tribuit Cl. Heinsius de Satyra lib. 2. p. 208.
Gyraldus in libro de vario sepel. ritu c. VI. p. m. 286. (45) Terent. in An-
dria. (46) libr. 1. de pont. eleg. 10. (47) Homer. odyss. Δ.

41.

42.

43.

44.

44.

46.

Quam rem eleganti carmine, pro more suo, descripsit Maro, de Miseni funere canens: (48).

Nec minus interea Misenum in littore Teucris
Flebant, & cineri ingrato suprema ferebant.

Consentit Gutherius, insignis scriptor, (49) qui ex Tacito hoc annotavit: *Defunctos in exequiarum prosecutione deflebant in foro, laudabant pro rostris.* Funus nempe exsequentes, præsertim qui proximiori sanguinis nexu cohærebant defuncto, lachrymis indulgebant maximè. Sororem in Sororis funere sanguineas lachrymas fudisse, Delrius (50) refert. Alexander Macedo ipse, fortissimus Heros, illachrymavit funeri conjugis Darii, quod Curtius testatur. (51) Egregiam hoc de momento etiam merentur laudem, quæ venerandus nostri Theologorum ordinis Senior, Dn. D. Qvenstedt; (52) Dn. D. Mayerus, (53) Josua Arndtius, (54) Onuphrius Panvinius, (55) Justus Cellarius, (56) πολυμαθηστὴς & vir, Alexander ab Alexandro, (57) Cœlius Rhodiginus, (58) Justus Lipsius, (59) nec non multæ eruditionis vir, Godofredus Lindenmuthius, Illustris Ruthenei Gymnasiarcha quondam meritissimus, (60) antea laudatus Jacobus Gutherius, (61) & multi reliqui collegerunt.

§. 5. De Ebræis res satis superque constat, & vel ex unica Sacri codicis historia probari potest, lachrymas omninò in ipsorum funeribus fuisse adhibitæ. Josephus enim deflebat Patrem suum. (62) David, obitum Saulis & Amici sui Jonathanis. (63) Idem David in funere Abneri extollebat vocem suam ac flebat super sepulchrum Abner. (64) Alia exempla, ne Lectori benevolo molestus sim, lubens meritoque prætermitto. Scindere nempe vestes, pectus percutere, radere genas, vultumque ipsum crudentare, lachrymas fundere, quod Ebræis consuetum fuerit in sepeliendis mortuorum

(48) Virgil. l. 6. Æneid. (49) laudatus Gutherius c. 25. libr. 1. de jure manium, ex Tacit. Annal. l. 3. desumpsit. (50) Polemica 2. (51) Curt. l. 4. post med. (52) in eruditiss. dissertat. de sepultura veterum, anno 48 editis. (53) in pecul. Acad. Disp. 1670. Lips. edit. de laudationibus veterum funæbribus (54) in Lexico antiquitatum Ecclesiasticar. tit. de funeratione p. m. 425. Gryphiswaldæ 1669. edit. (55) de ritu sepeliendi. (56) in exercit. Acad. Helmstad. 1652. edit. de antiquo funerum ritu. (57) Genial. l. 3. c. 2. & 7. p. 115. edit. Francof. 1591. (58) antiqvar. lection. c. 19. 20. 21. (59) in notis ad Tacit. annal. l. 4. (60) in pecul. scripto quod honorem exequiale præcis usitatum vocat, anno 1643. Geræ edit. (61) in erudito de jure manium libro passim. (62) Gen. L. 10. (63) 11. Sam. I. 12. (64) 2. Sam. III. 32. vid. & Joh. XI. 31. Sap. XIX. 3.

mortuorum suorum cadaveribus observavit, præter B. Chemnitium (65) ac Geierum, (66) noster Dn. Qvenstedius (67) & Dassovius, (68) aliiq; Buxtorfius; Ebræarum antiquitatum scrutator indefessus, sic describit in sua synagoga Judaica, cujus verba afferre non pudet: (69) *Mortuus nempe post efflatam animam, dum in conspectu ipsorum est, fletu non solum, lachrymis & ejulationibus, sed & lessu ac naniis prosequendus, quibus laudes & merita defuncti, si ve vir sit, si ve mulier, recitantur, ad luctum & mœrorem augendum.* Hæc Buxtorfius. Ex quibus omnibus apparet quod non solum lachrymæ privatim, statim cum Spiritum emitteret ægrotus, sed & publicè fuerint adhibitæ, cum funus efferrent.

§. 6. Conducebant tamen etiam nonnunquam mulieres mercede, quæ lachrymas fundebant, reliquosque comitantes ad luctum excitabant. Quod iterum fatetur Buxtorfius, allegato loco. Quas Lucilius (70) describit:

-- -- mercede quæ

Conductæ flent alieno in funere præficæ,

Multò & capillos scindunt & clamant magis.

Plorabant itaque hæ mulieres conductitiæ, quas germanico idiomate, die Klag-Weiber/ vocamus, & lamentabantur in alieno & ad se nihil pertinente funere, nummorum gratia, unde & fictarum lachrymarum simulatrices à Varrone (71) vocantur. Constat hujus rei veritas ex Jeremiæ scriptis (72), aliisque Scripturæ locis. Maimonides (73) inquit: *Quia placentus lachrymæq; vergebant in defuncti honorem, ideo tenentur heredes mercedem dare plangentibus & plangentibus, ut hoc officium præstent: nisi de mortuus ipse testamento vetuerit.* Suffragatur sæpè laudatus Dn. Dassovius (74) in antiquitatibus suis. Et Gutherius, Luctum domesticum explicans, lachrymarum rationes addit: (75) *Lugubrem, inquit, quondam lamentationem fletumque mœrentem ex eo fuisse, quod eum quem dilexerant vitæ commodis privatum arbitrarentur, idq; sentiant natura duce, nulla ratione*

B

nullaq;

(65) in Exam. Conc. Trid. de purgat. c. 2. (66) in peculiari de hoc argumento edito eruditissimo, & quamvis in lugubrica causa, pleno amœnitatis libello, de luctu Ebræorū, quod encomiū habet CL. Wagenfeil. in mantissa telorum igneorum Satanæ, de LXX hebdomad. Danielis contra Joh. Marshamum. p. 49. (67) in sæpè laudato de sepultura veterum libello. (68) in Coll. MSS. de antiqvit. Ecclesiast. P. 2. c. ult. (69) in Synagog. Judaic. c. 49. p. m. 698. edit. Basil. 1661. (70) Lucil. Satyr. XXII. quem imitatus est Horatius, de arte Poëtici. in fine: ut quæ conductæ &c. (71) Varro l. VI. lingv. lat. (72) Jerem. IX. 17. (73) Maim. de luctu c. 12. init. (74) coll. MSS. de Ebr. luctu. c. ult. P. 2. (75) Guther. de jur. manium c. XIV. p. m. 74, 85. Libr. I. edit. Lips.

41.
42.
43.
44.
45.
46.

nullaq; doctrina. Post, harum mulierum usus ad Romanos pervenit, quod de Romanorum funeribus observavit, Joh. Kirchmannus, (76) eruditissimus Vir, Joachim. Camerarius, (77) Joh. Baptist. Cafalius, (78) sæpè citatus Gyraldus, (79) Joh Rosinus, (80) Isaacus Casaubonus, (81) Daniel Glafenius, (82) Thomas Reinesius, Medicus atqve Philologus doctissimus, (83) Johannes Nicolai, (84) & alii, qui de hoc argumento scripserunt. Restat ut & de tempore lachrymandi s. de fletus duratione aliquid afferamus. Certus namqve lachrymis & præfixus non semper est terminus: quis enim imperare suis potest oculis, ut ad clepsidram veluti aut plorent, aut plorare desinant? B. Geierus, vir etiam post fata venerabilis, ac de antiquitate ebræa optimè meritis, (85) ex Maimonide (86) rem paululum delineavit, inqviens: *Non desent mortuum ultra triduum, neqve plangunt ultra septiduum.* Quibus associamus CL. Dassovii verba, quæ nobis dedit ex Maimonide: (87) *lachryma durabant per triduum, non quod continuo flerent, sed quod exacto triduo non amplius flerent.* Cum his consentit magnæ lectionis & judicii vir Johannes Ligtfoot, (88) & Johannes Buxtorfius, (89) nec non longè celeberrimus Philologus, Daniel Heinsius, (90) magnusqve Isaacus Casaubonus, (91) qui mortuos quondam per aliquot dies comploratos fuisse affirmant. Apud Romanos idem observavit Jacobus Gutherius, (92) in erudito de jure manium scripto; *Nam inquit, apud majores, ubi quis extinctus esset, diebus septem domi illius corpus asservabatur, & curabatur, lavando, unguendo, osculando, complorando, conclamando.*

§.7. La-

(76) de funeribus Rom. libr. 2. c. XI. p. m. 125. edit. Francof. 1672. (77) in oper. Horar. Subcisiv. Cent. II. c. XXVI. p. 106. 107. edit. Francof. 1658. (78) de profan. Roman. ritibus c. XXVI. p. m. 142. ed. Francof. 1681. qui tamen, magni viri judicio, omnia sua ex Vice Comite desumere solitus est. (79) de vario sepeliendi ritu c. XII. in notis p. m. 352. (80) libr. 5. antiqv. Rom. c. 39. de funeribus & sepulchris. p. m. 622. (81) in notis ad Persii Satyr. III. p. 304. edit. Paris. 1615. (82) in Theolog. Gentil. p. m. 147. 148 edit. Francof. 1684. (83) Variarum Læction. libr. I. c. XXI. p. 84. edit. Altenburg. 1640. (84) de antiqv. Bachanal. c. XVI. l. §. 2. Helmstad anno 1679 edit. (85) in libello varia referto eruditione, quod elogium huic præbet CL. Wagenfeilius in tract. Sora. Excerpt. Gemaræ C. 1. p. 339. Altdorf. edit. An. 1674. de luctu Ebr. c. XII. §. 6. (86) Maim. de luctu c. XIII. §. 10. (87) in Coll. sæpè laudat. MSS. de Ebr. antiqv. P. 2. ult. de luctu. (88) in suis Oper. Roterod. 1686. edit. Tom. II. hor. Ebr. in Evang. Joh. c. I. p. 648. (89) in Synag. Jud. c. 49. p. 698. & eod. c. p. m. 706. (90) in Exerc. Sacr. Lugd. Bat. 1639. edit. in Luc. c. IX. p. 106. (91) in notis ad Pers. Satyr. III. p. 303. sub fin. edit. Paris. An. 1615. (92) de jus. man. l. 1. c. 16. p. m. 94.

§.7. Lachrymas tandem in urnas colligebant ac phialas, Ebræi non tantum, sed etiam profani & extra coetum DEL constituti. De quibus antea citatus Dn. D. Geierus: (93) *Illud adhuc de lachrymis subjungere visum est, quod Argentina in technophylacio monstrari memini, effossas scilicet è sepulchro gentili duas cinere repletas ollas sive urnas, quibus addita dua lampades, una Orichalcea, altera fictilis, & prater eas etiam vitrum, in figura longioris crassiorisq; digiti, hoc ipsum in se liquorem continet aqueum, superiore tamen sui parte, quâ oculorum angulis applicari aptè potest, arctè vitro alio agglutinato oclusum. Hinc liquorem existimant esse cognatorum lachrymas, unâ cum defuncto sepultas. Et paulò post: Simile quid huic ipse reperio apud Cotovicum (94) qui meminit, in insula Zacyntho Anno 1554. Cal. Decembr. erutum fuisse sepulchrum, hâc præditum inscriptione: M. TULLI CICERO HAVE. ET TU TERTIA ANTONIA. Intus reperta urna seu ampulle vitreae dua, major cineribus, minor aqua, referta. Hinc existimatum, illam Ciceronis cineres, hanc amicorum lachrymas continere. Hec ille, què simul accuratam urnularum harum exhibet picturam. p. 51. Joh. Baptist. Casalius, in suis, quos scripsit, Romanorum profanis ritibus, egregiè & eruditè (95) hoc argumentum profecutus est, qui eas aeneis tabulis depictas offert, quas se servare in Museo fatetur. Sic enim inquit: *Postea adhuc cæcæ cineres priusquam refriguissent, & ossa simul claudebantur in urna, cum odoribus & lachrymis, quæ vitreo vasculo s. phiala injecta essent.* Et paulò post pergit: *Non reticebo in memoriam antiquitatis, quod hic Roma in mea vinea ad viam Appiam reperitur subterraneum conditorium sive Hypogeum dealbatum, & crustatum satis eleganter; & in hoc plurimæ concavitates in muro, & in una quaque prædictarum, extant duæ vel tres ollæ fictiles muro affixæ, repletæ cineribus & ossibus semi ustis, intra quas aliqua reperta quoque fuere, ex prædictis phialis vitreis & fictilibus ad usum lachrymarum.* Huc usque Casalius. Reservat tales urnas veterum cum phialis lachrymalibus etiam in Museo suo Halæ Saxonum, antiquarum rerum peritissimus, maximè Reverendus Dn. M. Joh. Godofredus Olearius, Symmysta Hallens. meritissimus ac circuli Salani Brandenburgici Inspector vigilantissimus, Dn. Patronus noster ac Fautor submissè devenerandus. Sæpè adductus autor Jacobus Gutherius, (96) egregium hâc de re monumentum profert, qui affirmat, quod urnas cum odoribus, qui vitreo vasculo ut plurimum injiciebantur, ossa cum cineribus claudere consueverint. *Habeo, inquit, lachryma-**

B 2

rum

(93) de luctu Ebr. c. XII. p. m. 271. & 72. (94) in itiner. Hierosol. libr. I. c. X. p. 50. (95) Casal. de profan. Rom. ritibus, c. XXVI. p. m. 149. (96) Guther. de jure manium l. I. c. 28. p. 172. & 173.

41.
42.
43. 49.
44.
46.

rum phialam vitream, cujus figura oblongior, patulo ore incurvo, ad lachrymas excipiendas. Cujus speciem ære sculptam exhibet loco citato. Hinc veterum phrasés ac formulas quas in inscriptionibus habent, negotio facilimo explicari possunt, quid sit, cum lachrymis ponere, cum lachrymis dare, lachrymis & opo balsamo condere, tumulum lachrymis plenum dare. Sic Romæ in lapidibus antiquis sepulchralibus legitur :

ULPIAI. SCITAI. PILUMENAI. CONUGI. B. M. P. ÆLIUS.
MACER. ANTESIGNANOR. TRIB. LACRIMAS. POSUIT.

Et alio loco :

QVINTIA. PAULINA. MATER ANN. LXXXIII. AD. FLET. AD. GEMITUM. RELIC. TUMUL. LACRIM. PLEN. E. MARM. HUM. D. DEDIT.

Erant præterea illæ urnulæ seu phialæ lachrymatorix ex variis materiis constructæ, vel vitreæ, vel fictiles; Testatur id, curiosarum rerum collector sedulus, Olaus Wormius, (97) qui ex Italia sibi allatam urnam lachrymalem terream, vasculum scilicet oblongum, colli angustioris, pyri forme, ventre ampliore, longitudine quinque unciarum, colore ex rubicundo albescente affirmat. In ejusmodi vasculis lachrymas pro defunctis fusas olim colligebant Romani, easq; cum reliquis inferiis tumulis mandabant. Sic alio capite, (98) præter urnas ex terrâ figulinâ factas commemorat alias ex vitrò. Et Airinghus (99) monente B. Geiero in laudato de luctu Ebræorum libro, (100) aliquot depicta exhibet vascula lachrymatoria; quæ tamen aqua lustrali repleta conjicit idem auctor. Et paulò ante (101) meminit quoq; vasculorum vitreorum vel figulinorum, cruorem martyrum continentium, cumq; iisdem sepulcorum. Quibus addere liceat, quæ observavit in antiquitatibus rarissq; rebus assiduus, Schurzfleischius, qui tales urnas lachrymales Noviomagi apud Cl. Smetium asservari, oculatus testis affirmavit. Suffragatur Jacobus Livius in libello Belgico *αὐτόπλης*, Menander, (102) & alii. Huc referunt etiam nonnulli & illustrent locum Davidis (103).

§. 8. Considerato Ebræorum ac Romanorum lachrymandi ritu, nunc breviter etiam de aliis nationibus barbarissq; aliquid dicendum, qui hoc ritu vel utuntur, vel planè destituuntur. De Thraciæ incolis refert Herodotus, (104) Scriptor gravissimus, quod ordine inverso procedant. Recens enim nato puero, propinqui eum circumsedentes cum ploratione prosequuntur, ob ea mala, quæ necesse est illi, quod vitam ingressus sit, perpeti, humanas

(97) Olaus Wormius rer. rar. libr. IV. c. 1. (98) c. VII. seqv. (99) in Rom. f. 298. (100) de luctu Ebr. c. XII. (101) f. np. 295. (102) edit. Morellianæ. p. 37. Geierus l.c. & alii. (103) Ps LVI. 9. Ecclesiast. XII. 9. (104) Herodot. libr. V. c. 4. p. 791. quod etiam Valer. Max. l. 2. c. 6. testatur.

humanas omnes calamitates recensentes. Hominem autem demortuum, ne unica quidem lachrymarum guttula, sed cum lætitia ac gaudio terræ mandant, referentes, quod malis liberatus, sit in omni felicitate. Hanc consuetudinem apud Spartanos etiam in usu fuisse, exinde patet, quia Cleomenem Regem Spartanorum à lachrymis dehortatur uxor, ne quid Spartâ indignum admitterent. Quod habet Plutarchus (105) & Bartholomæus Keckermannus (106). Sed detestanda meritò ac planè abominanda Tiberii, infensissimi ac crudelissimi tyranni constitutio, qui suo durante Principatu sub pœna capitali interdicebat *mortuos deslere*; ipsæ *matres flentes super mortuis filiis confictæ* necabantur (107). Cum quo paria quasi fecit Patavinus ille Jurisconsultus, Ludovicus Cortusius, qui ad funus suum 50. Musicos, omnis generis conduxit, feretrum iussit ferri à XII. virginibus viridi veste ornatis, cum cantu læto & triumphali; centum funeralibus stipantibus comitante toto orbis clero & monachis omnibus, exceptis nigris, ne tristitiæ color lætitiæ funeris funestaret, *lachrymas fletumq; omnem testamento prohibuit*. Uti refert magnus ille Drexelius (108) Lycii veteres, si quis publicè lugere vellet, jubebant, ut tantisper muliebri uteretur veste, quo intelligerent, se facere muliebriter (109). Eundem ritum turpissimum ab Assyriis servari, historiarum commentatores tradunt, qui cum Scythiis aliisq; barbaris, mortuos lachrymis non prosequuntur, sed eos dilacerant. (110) De Æthiopibus auctores contraria referunt, quos infra (111) allegavimus. Crudelissima tamen atq; omnem humanitatem excedens barbaries est & immanis ἀνθρώπων πορνεία, quam de Indorum ritibus sepulchralibus auctores proferunt, qui nec lachrymis nec luctu honesto excipiunt sibi etiam conjunctissimos, sed parentes priusquam annis aut morbo aliquo in maciem seniumq; eant, velut Deorum hostias macerant, cæcorumq; visceribus epulati fas & maximè pium censent (112). Et qui sunt alii ritus, quos proferre omnes, temporis chartæq; angustia non permittunt. Mittamus igitur hos, qui dolorem & affectum lachrymasq; omnes è vita communi & moribus hominum ejicere conantur. Sunt quidam procliviores ad honestatis ac humanitatis naturæq; leges exteri, non solùm mortuos suos terræ mandantes more consueto, sed & lachrymas

B 3

largiter

(105) Plut. in Vita Cleom. edit. Francof. 1582. (106) de republ. Spartan. Disp. IV. Canon. 2. c. XII. p. 1649. (107) Tacitus refert L. 5. Ann. (108) Drexelius in prodromo. (109) Plutarch. de Consol. ad Appollon. p. 237. edit. Francof. 1582. (110) Herodotus affert in Melpomene s. l. 4. c. LXXI. f. 246. (111) Diodor. Sicul. L. 3. c. 22. Kirchmann. de fun. Rom. passim. Strabo Geograph. l. 15. Jacobus Ludolfus, in hist. Æthiop. l. IV. c. 4. n. 29. edit. Francof. 1681. (112) Herodot. in Thalia s. l. 3. c. 24. f. 170.

41.
42.
43.
44.
45.
46.

largiter fundentes, imò in luctu interdum nimium excedentes. Inter quos palmam aliis præriperere videntur Ægyptii, Syri, Lydi, & qui his viciniore. Horum quosdam ferunt in foveas certas sese per dies complures abdere, neque solis lumen videre sustinere, quo is quem lugent privatus sit, referente nuper citato Plutarcho (113). Et quæ sunt plura alia. Illud in Germanorum veterum laudem addere liceat, quod Tacitus (114) de illis refert, sua funera *lachrymis & lamentationibus* profecutos esse. De Christianis verboq; Dei illuminatis hominibus res est in vado, quorum natura non solum suadet, ut eum lugeant, contestando suum desiderium retinendi diutius ipsum, quem amaverint. Quin & inter alia humanitatis ac pietatis officia etiam illud ab Apostolo numeratur *κλαίειν & κλαίεντων*. Quod & huc usque observatur inter cultioris cœtus homines,

§. 9. His satis superq; cognitis nunc ad *Pœnitentium Lachrymas* nos convertamus, atq; quid in illis observatum fuerit discutiamus. Quatuor n. p. in veteri Ecclesia pœnitentiæ gradus fuisse, magni momenti auctores statuunt, qui, quando cœperint, jam non disputabimus, cum ea nos sublevarit opera, celeberrimus olim Aurelianensium Episcopus, Gabriel Albaspinæus, quæ vide; (115) sed nudè tantum atq; historicè ritum lachrymantium perlustrabimus. Primus igitur gradus Pœnitentiæ erat *πρόσκλαυσις*, cum quis commisso peccato extra Ecclesiam stans *cum luctu & lachrymis*, eos, qui ingrediebantur, orabat, ut preces pro se funderent. Erat deinde *ἀκρόασις*, cum quis extra Ecclesiam stans, divinas scripturas audiebat, usq; ad Evangelii lectionem. Erat etiam *ἐπιπέλασις*, cum quis intra Ecclesiæ septa post suggestum stabat, & cum catechumenis egrediebatur. Erat demum *ὄρασις*, cum quis cum fidelibus orabat, nec dum tamen ad sacramenta admittebatur. Id quod egregiè & eruditè descripsit, maximum nostræ Academiæ decus, Magnif. Dn. D. Zieglerus, in aureo ad jus Canonicum Commentario (116). Alii quinque gradus admittunt, atq; ad præcedentes quatuor, referunt adhuc *μέθεξις* s. *communione*, qui tamen à Gl. Hornbeckio (117) & aliis exinde refutantur, quod *μέθεξις* non sit pars pœnitentiæ, sed demum post reconciliationem & pœnitentiam

(113) Moral. Tom. I. de consol. ad Apollon, libr. pag. 237. edit. Francof. 1582. vid. & de aliis Diod. Sicul. l. 1. Biblioth. Hist. P. 2. c. 3. Et Barnab. Briffonius, (*qui an. 1590. in obsidione Lusitana in carcere strangulatus & postea publicè suspensus est, sed ejus inimici in eodem patibulo suspensi sunt post modum.*) Quod observavi ex Bucholz. Chron. p. 706.) in lib. de Reg. Perf. Princ. l. 1. p. 36. & l. 2. p. 320. edit. Paris. 1592. (114) Tacitus de Germ. moribus c. 27. (115) in observ. suis l. 1. obf. XXI. n. V. p. m. 202. edit. Helmst. 1672. (116) Ziegl. noster ad jus Canon. l. 3. Tit. 5. §. 2. p. m. 342. (117) in Miscell. Sacr. l. 1. c. XV. p. 448. edit. ultraject. anno 1677.

tentiam secuta pristina sacrorum communicatio. Erant autem *προσκλαίοντες* precibus expulsi, ut flerent ad fores Ecclesiæ, annotante viro magni nominis, Joh. Forbesio, (118) Hoornbeeckio, (119) Albaspinæo, (120) & aliis. Hinc Tertullianus, scriptor antiquissimus (121), ubi præstandæ Exomolegesios formam docet, cum primis ingemiscere, *lachrymari*, mugire dies noctesqve ad Dominum jubet, ut agnoscas lachrymas apud veteres seriæ poenitentia indices fuisse. Confirmat hoc S. Cyprianus suo monito: (122) *orare oportet impensius & rogare, diem luctu transigere, vigiliis ac fletibus noctes ducere, tempus omne lachrymis & lamentationibus occupare*. Adde quæ D. Ambrosius, sanctissimus scriptor, ad hunc gradum dedisse videtur: (123) *volo veniam reus speret, petat eum lachrymis, petat gemitibus, petat populi totius fletibus, ut ignoscatur obsecret*. Exclusi *προσκλαίοντες* etiam erant à publico sacroque divini nominis cultu, nulla ipsis prædicatio verbi, nec peccatorum remissio concedebatur, sed inter gravissimos peccatores ad valvas templi stabant, suæque delicta deslebant ac confitebantur, ingredientiæ fideles rogantes, ut pro se precando apud Episcopum & Ecclesiam intercederent. Quale exemplum apud Eusebium videre est (124) de Natali quodam, qui multis lachrymis, errorem suum deslens ante pedes Zephyrini Episcopi prosternit, & vestigiis omnium, non modò clericorum, sed etiam Laicorum, multa cum lamentatione provolutus in lachrymas & miserationes omnem provocavit Ecclesiam, ut indulgentiam sibi à Christo continuis pro ipso precibus imploraret. Aliud exemplum habet Synesius. (125) Videantur interim, quæ egregiè scripsit Joh. Forbesius, (126) Hoornbeeck. in sacris Miscellaneis (127), nec nò M. Bebelius (128), Amicus mihi conjunctissimus, & qui his studiis dediti de disciplina Ecclesiastica scripserunt. Si autem mors immineret, antequam præfixos poenitentia annos completere & communioni Ecclesiasticæ restitui possent, si peterent, absoluebantur & ad communionem per viaticum admittebantur.

§. 10. Nunc ad *Precantium Lachrymas* perveniendum, qui nonnunquam elevatis ad cælum oculis sparsisq; lachrymis ardentem Deum invadebant. Quales lachrymas deprecatorias unâ cum hostiis expiatoriis Deo ad feram usque vesperam ab omnibus filiis Israel in domo Domini oblatas, exhibet liber Judicum. (120) Hæ sanè gemmæ sunt oculorum & condimentum ora-

(118) in suis instructionibus Historico-Theologicis l. XII. c. VI. p. 649. edit. Amstelod. 1645. (119) l. I. c. 16. p. m. 448. (120) in observ. XXII. l. 2. observ. (121) Tertull. in libr. de poenitent. c. IX p. 117. ex edit. Jacob. Pamelii Brugensis 1608. (122) in serm. de lapsis, (123) l. I. de poenit. c. 16. (124) Euseb. l. V. c. 28. (125) Synes. epist. XLVII. ad Theotimum. p. 43. (126) in instruct. Hist. Theol. l. XII. c. VI. p. 649. (127) in Miscell. Sacr. c. XVI. p. 414. (128) in dissert. de veterum in Lapsos disciplina Ecclesiastica 1687. Lips. habit. (229) c. XX. 29. c. XI. 4.

41.
42.
43.
44.
46.

tionis optimum. Ex quo videmus modum cum lachrymis Deo supplicandi longè antiqvissimum esse. Ita pro obtinenda prole Hanna coram Domino stabat lachrymisq; orabat (130). De Davide poenitente in precibus haud rarò lachrymante, res ulteriori explicatione ac confirmatione non indiget, quod Psalmi ejus nonnunquam cum lachrymis exarati testantur. Hiskias in agone constitutus cum lachrymis de vitæ prorogatione preces ad Deum fundens, exauditur. (131) Viduarum precantium lachrymæ quid effecerint, exemplum suggerit inter alia, antiqvitas: S Augustini Parens, Monica, filiū in Manichæorum hæresi obstinatum videas, pro salute ejus in precibus ad Deum adèd flevit, ut impossibile creditum sit, filium tot lachrymarum perire. Rem ipse recenset Augustinus in suis, quos scripsit confessionum libellis (132). Hinc ait: (133) *Dulciores sunt lachrymæ orantium, quàm gaudia Theatorum.* Et Hieronymus, Pater sanctissimus, (134) lachrymas cum oculis cælo inhærentibus mirificè effert.

§. II. Cæterum variæ dantur lachrymatum causæ, quæ vel ex subito mœrore vel repentino gaudio nascuntur atq; promanant. Sic Naso;

-- Est quædam flere voluptas,

Expletur lachrymis egeriturq; dolor.

Quas causas, unde tales lachrymæ proveniant Philosophi (135) explicarunt. Ptolomæum Philadelphum, Regem Ægyptiorum, cum illi sacer codex literis aureis pictus porrigeretur, præ gaudio lachrymas uberrimas profudisse, Flavius Josephus animadvertit. (136) Præ nimio mœrore lachrymas effundentium novem species recenset Aristoteles, (137) quem vide.

§. 12. A scopo nimis foret alienum, si etiam de brutorum lachrymis, aut de imaginum oraculorumq; fletu, ac de sagarum lachrymis, & quid de illis habendum sit, ageremus. Sed quoniam legum tenor plura afferre prohibet, prolixiorē dissertationem aliæ occasione reservamus. Nos seriem totius vitæ humanæ, & continuum cursum, ab incunabilis videlicet, usq; ad decrepitam ætatem considerantes, eam plenissimam lachrymarum reperimus, adèd uxoratus, & cum intermedio tempore, exitus etiam noster cum lachrymis omninò sit conjunctus. Enim

Nascimur in lachrymis, lachrymis quoque vita madescit,


Et vitam rursus linqvimus in lachrymis.


O multas hominum lachrymas; absterget at omnes


Omnibus electis ipse Deus lachrymas.


SOLI DEO GLORIA!

(130) 1. Sam. 1. 10. (131) Eccl. XXXIX. 5. (132) l. 3. confess. c. XI. & XII. (133) l. IIX. Confess. c. XII. (134) Commentar. in Psalm. CXXVII. circa medium. (135) ut Alexander Trallianus, in Problemat. problem. 3. Senec. Epist. 99. Læli. Bisciola in hor. subciv. Tom. II. l. 15. c. 6. n. 7. Ingolstadt. 1611. edit. de quo libro Joh. Bona in noticia Auctorum, quæ in operibus ejus Antverp. 1677. edit. conspicitur p. 959. Lælii Biscioltæ horarum subcivitarum op. in signe. res continens in omni philologiæ genere excellentes. Jacob. Pontanus Philocalias libr. V. c. III p. 144. edit. Augustæ, 1626. (136) l. 2. c. 12. antiqv. Jud. (137) libr. I. Rhetor. c. 8.









the scale towards document

sanguine Domini Latina lingua conscri-
ptissima extant Criticorum iudicia. Re-
liter vindicant *Bertramo*. Vid. *Rivetum*
D. *Cave* (δ), *Paul. Colomesium* (ϵ) &
ex Doctoribus Romano-Catholicis as-
serunt *Bertramo*, haud intrepidè tamen hæ-
c insimulant. Alii non solum librum il-
lumant, (ζ), sed etiam supposititium
novo in varias scinduntur partes, & in
quo ejus autore nequeunt convenire. Si-
cut *Job. Oecolampadio*, Germanicè
de Marca, quem autorem operis (Ca-
prohibitorum Romæ inserti) de *Con-*
stitutione Imperii, seu *de libertate Ecclesie Gal-*
licæ plurimum Reverendus idemque *Wol-*
fgangus Diekmannus (η), quamvis, ut ipse anno-
tavit in *Ephemeridum* placeat auctor *Doctis-*
simus aluzius (ι) à συγχρόνω *Ber-*
engario Scoto, quem nonnulli pudenda
nomen *Dunsio Scoto*, *Doctore* cognomento
floruit, confundunt (κ), confectum
habuisse *Berengarium*, ejusque sectato-
rem *Parisensis*, *Canonice Regul. S. Au-*
gustini Boileau Socius *Sorbonice* præter
caetera *tionis Doctores*, genuinum *Ratramni*
tionis doctrinæ non adversum esse, per-
cipimus. Nos de libelli ejus dogmatibus aliis
non asserere *Bertramo*, moti cum primis
testimonio & consensu. Conf. *Colomes.* (ν)
ipsius (ξ) & nostrum Dn. D. *Læ-*

B

(α) l.c.